
Res.
Lith.
534
b

C. E. von BAER
*de fossilibus mammalium in
Prussia reliquiis.*

208

DE
FOSSILIBUS MAMMALIUM RELIQUIIS
IN
P R U S S I A
ADJACENTIBUSQUE REGIONIBUS
REPERTIS.

DISSERTATIO,
QUAM
AD PROFESSORIS ORDINARIUM MUNUS
IN ACADEMIA ALBERTINA
RITE CAPESSENDUM
SCRIPSIT

CAROLUS ERNESTUS A BAER

MED. DR.; PROF. P. ORD. DESIGNATUS; MUSEI ZOOLOGICI REGII DIRECTOR;
IN INSTITUTO ANATOMICO PROSECTOR; ACAD. CAES. LEOLP. NAT.
CUR., SOCIET. NAT. CUR. GEDAN. NEC NON SOCIET. CURONICAE
AD PROMOVENDAS LITERAS ET ARTES SODALIS.

CUM ICONE.

REGIOMONTI 1823.
IN LIBRARIA ACADEMICA.

K. v. 11. 121

Bayerische
Staatsbibliothek
München

I n s t i t u t i r a t i o .

Magno fervore naturae curiosos, doctos et indoctos, animalia extincta, quae prioribus Telluris aetatibus eam incolebant, hodie investigare videmus. Fervorem si non creatum, magnopere tamen auctum et divulgatum esse a zoologorum principe, nostris laudibus longe superiore, nemo est, qui nesciat. Libro immortalis de quadrupedum ossibus fossilibus revelavit mundum praeteritum et ex terrarum fundo testes antiquitatis remotae post saeculorum somnum resurgere jussit. Hoc opere delectatos saepe nos deprehendit media nox; aegre vero semper tulimus, quod pauca de re-
pertis in Prussia ibi legimus. Longam enim enumerationem ossium e terra effos-
sorum prodit autor noster, summa diligentia omnes fere libros evolvens, in quibus de his aliquid traditur. Multos hujusmodi casus refert de Gallia, Britannia, non pauca de Italia, permulta de Germania et Rossia, pauca de Prussia et Polonia. — Divinus Pallasius jam docuerat, inde a Tanai fluvio ad extremum antiqui mundi Americae vicinum angulum per universam Asiam borealem vix unum esse flu-
vium insigniorem, praecipue campestem, cujus ripae, vel alveus non scaterent os-
sibus Elephantum, aliorumque vastissimorum et non hujusmodi climatis anima-
lium.*) In Germania multis regionibus quotannis e fundo eruuntur ossa animalium
extinctorum. An plagae inter Viadrum et Tanain iis minus abundant? Solven-

*) Nov. Comment. Acad. Petrop. Tom. XVII.

dae huic quaestioni, quae ad eruendam Telluris historiam non pauci ponderis videntur, operam dedimus. Campos inter Boristhenem, Dunam et Tanain perlustrant Rossi, nos plagam examinemus a Viadri aquis ad Dunam extensam, vel regiones, quae irrigantur Vistula, Pregola et Vindava, interjacentibusque rivulis minoribus.

Primus ergo erat opellae finis, quantitatem ossium fossilium in plaga nostra eruendi. — Animalium ordinum inferiorum reliquias apud nos satis frequentes occurrere (quantum fieri potest sine rupibus exstantibus) jam dudum scripta Kleinii*) et Breynii**) docuerunt. Mammalium ossa fossilia non tam multa inveniri, quam in Germania et Sibiria facile confiteor, pauciora vero solo inesse, vix credam. Sunt enim causae plures, quae cognitionem rerum in terra sepultarum apud nos difficiliorem et rariorem reddant:

- 1) Fodinis metallorum vel salium omnino caremus. Aquaeductus majores pauci (et hodie vix ulli) conficiuntur. Rara ergo occasio profundiora terrae perlustrandi puteis fodiendis tantum fere datur.
- 2) Fluviis majoribus non abundamus. Compertum vero habemus, quo majoribus fluviis gaudere regionem quandam, eo frequentiores edere reliquias fossiles. Quo contendere in animo non est, uti scrutatores hodierni nonnulli volunt, ad majorum fluminum ripas potissimum, si non unice, vixisse belluas mundi pristini. Certo certius nobis videtur, ossa fossilia in plaga nostra non eo loco hodie jacere, quo perierunt animalia, sed aquarum vi disjecta esse, et ubique dispersa in terra alluvia, nam, singulatim semper fere observantur, uti catalogus noster docturus est. Persuasum ergo nobis habemus, animalium intersectorum corpora, quanquam non ex ultima Asia vel Africa advecta credimus, tamen vehementer circumagitata et disrupta esse iis fluctibus, qui terris alluviis recentiore formam dederunt. Fluctus hos, qualescunque fuerint, per

*) In libris pluribus potissimum in: Specimen descriptionis patrefactorum Gedanensium.

**) De Belemnitis Prussicis, dissertatiuncula operi de Polythalamiiis adjecta 1732.

fluviorum alveos defluxisse et contenta graviora sensim sensinque deposuisse inficias non ibis. Praeterea, quo majores sunt fluvii, eo saepius per inundationes ripas praerumpunt. Memores vero sumus Pallasii observationibus, ripas praeruptas fluviorum magnorum imprimis scateri Mammonteorum et Rhinocerotum ossibus. De fossilibus reliquiis, quas singulatim in hac dissertatione enumeravimus, maximus numerus ad Vistulae ejusque brachiorum ambitum, minor ad Pregolam, duo tantum specimina ad Vindavam pertinent, et vix unum vel alterum ad rivulos minores.

Alia est causa, cur non omnia in terra reperta ad notitiam publicam veniant. Cuvierus optime observavit, catalogum ossium in Germania effossorum tam longum esse, quia vix ullum ibi sit oppidulum vel vicus, in quo non homines literis satis imbuti vivant, ut tales res aestiment et cognoscant. Prussia hac ratione tantum a Germania superatur, quantum ipsa Polonia, Curoniam et Livoniam superat. Seriem observationum in libris depositarum prodere non potuimus, nisi antiquitus jam nostrates satis attenti ad res naturales fuissent. Curoniae et Livoniae opprobrium vero est, tam pauca hujusmodi inventa libris tradidisse, quanquam magno fluvio Dunae fruuntur. Illa duas reliquias bovinas enumerandas nobis suppeditavit; ex hac duos tantum dentes in libris recensitos invenimus,*) qui auro equini videntur.

Quanquam multae adsunt causae, quibus ossa fossilia in nostra plaga rarius reperiuntur, vel reperta in notitiam publicam veniunt, quam in Germania, tamen satis longam enumerationem repertorum tradere valui. Hunc in finem libros veterum evolvi et non raras relationes de ossibus et dentibus effossis offendi. Adjeci quae ipse de ossibus nondum descriptis comperta habui, nec non specimina in museis nostratibus reperiunda, quia suspicandum est, ea in Prussia vel Polonia adjacente reperta esse, nam veri simile non est, res oculis tam parum blandientes, saeculo

*) Fischer: Naturgeschichte von Livland. Pag. 744 et 745. ed. 2

praeterito, quo gazophylacia rerum naturalium Prussica omnia collecta sunt, e longinquo huc advectas esse. Ne vero enumerationem justo magis angeam et eadem res bis vel saepius recenseatur, operam dedi, ut scriptorum relata diligenter inter se et cum speciminibus in museis conservatis compararem. Relata penitus retuli et quae ipse vidi, fusius descripsi, ne dubitarent posterius, quae a me jam visa sunt, quae non. Eundem in finem, ubi nunc servantur ea, quae adhuc exstant, tradidi. In unico, vel paucis locis omnia colligi vellem! Plura (I, 1; III, 8; III, 13; III, 14; IV, 2; V, 3; V, 5; V, 6; VI, 6; VI, 7; VI, 10; VI, 11; VII;) jam museo nostro publico inesse videbis.

Secundum erat consilium, eruere quorum mammalium sint reliquiae in nostra plaga repertae. Auctorum plurimorum relationes, Kleinianas si excipias, tam mancae et ineptae sunt, ut animalia saepe non cognosci possint. Haec est causa, cur a Cuviero plurimae non recenseantur. Inter omnes eminent Bockius, historiae naturalis Prussiae descriptor, compiler indefessus, sed ne primis quidem disciplinae nostrae elementis imbutus, qua ex causa mirabilia saepe profert. Quid! foramina disertis verbis in capite fossili bovino ab illo descripta invenies, quibus cornua innata credit (non enim intellexerat Rzaczynskium, in quem innisus est, et qui ipse Kleinium non intellexerat;) et multa hujus farinae! Operam ergo dedi, ut, quantum potui, de nonnullis meliorem descriptionem obtinerem, vel ipsa fragmenta examinare possem. Specimina, quae autopsia cognovi, signo † notavi. — Memoratu dignum est, nullum os e Glirium vel Ferarum ordine me invenisse, sed omnia ad animalia unguiculata et fortasse ad Cetacea pertinere.

Postremo examinanda erant loca et rationes ad terrarum strata, in quibus inventa erant fragmenta fossilia. Perpauca sunt, quae de his dare possum, et ad nuperrime detecta tantum fere spectant, quanquam litteris plura eruere conatus sum. Multa specimina dederunt colles, qui Gedano occidentem versus ad pagum Zappoth continuati stratis arenae et margae alternantibus constant, et fragmenta lapidis calca-

rii, conchas includentis continent. Aquarum, vel maris vel Vistulae, vi congesti videntur.

Haec sunt, quae naturae scrutatoribus offero. Operae, quam disquisitionibus his navavi, pretium vix esse, ea quae eruta sunt, bene perspicio. Spero tamen geologiae me lineolam dedisse et posteris inde facilius fore, plura afferre.

Doleo, me pagellas has conscribentem Cuvieri operis immortalis novam editionem nondum ad manus habuisse. Jam dudum expectatur a bibliotheca nostra publica. Si in hanc editionem aliquo modo peccavi, non mihi culpam tribuant, lectores oro rogoque.

Viris omnibus, qui quaestionibus meis iteratis turbati, humanissimae, quantum potuere, votis satisfecerunt, gratias quam maximas ago, imprimis vero Dri Rathkio, de historia naturali jam meritissimo, litteris a me saepissime vexato, sed nunquam defatigato.

§. 1. *Rhinoceros antiquitatis Blum.*

Rhinoceros tichorhimus Cuv.

† 1. In thesauris rerum naturalium a Cl. Biörnio Gedani olim collectis, anno
 Caput praeterito ad venditionem publicam expositis, fragmenta ossea septem inveneram,
 Rhin. primo intuitu pro fossilibus habenda, quae in catalogo sub titulo simplici „*osse*“
 ant. enumerati erant. His ossibus accuratius examinatis detectoque inter ea frustulo,
 quod, cum septi narium ossei validissimi pars esse videretur et Rhinocerotem
 fossilem in mentem vocaret, omnia ad rationem musei zoologici nostri euni jussi. —
 Quo facto, fragmenta mox marginibus sibi adaptatis ejusdem cranii permagni par-
 tes se manifestarunt. Filo ferreo ut conjungerentur curavi, quo peracto cranium
 Rhinocerotis extitit, non integrum quidem, sed satis completum ut extra omnem
 dubitationem poneretur ad Rhinocerotem antiquitatis id pertinere. Gaudet enim
 cranium nostrum septo narium usque ad rostri apicem osseo validissimoque, quod
 dicto animali antidiluviano peculiare esse, inter zoologos constat.

Omnia, quae Camperi, Pallasii et Cuvieri, virorum summorum, cura
 de capite osseo hujus animalis extincti explorata sunt, hic inveniuntur, si partes
 amissas non respicis. Videbis enim faciem occipitalem manifeste retroversam et
 cristam occipitatem valde elevatam. Desunt alveoli pro dentibus incisoriis^{*)}. In
 summo nasi dorso asperitas eminet, cornu anterioris olim sedes, et altera minus
 manifesta inter orbitas. Rostri apex uti a Pallasio et Cuviero pingitur uberius-
 que describitur.**)

*) Fallitur Hanovius, qui descriptionem cranii nostri tradens, uti infra probaturi
 sumus, alveolos dentium incisorum describit satis amplios ut digitus in utrum
 que immitti possit†). Foramina enim incisiva seu palatina anteriora sunt, quae
 pro alveolis venditat bonus zoologus.

†) Neue gesellschaftliche Erzählungen. Tom. III. p. 322.

***) Cuv. Annales du Mus d'hist. nat. Tom. VII. Tab. 3. Fig. 2.

Inter majora hucusque reperta Rhinocerotis tichorhini crania numerandum est id, de quo agimus*).

Longitudo a crista occipitali ad nasi apicem secundum os mensa, uti Pallasius jubet,	30	poll. m. Par. aequat.
Latitudo inter processus orbitales anteriores	11	— — — —
Latitudo inter tuberositates, quae ante canales lacrimales eminent	12½	— — — —
Latitudo dorsii nasalis in apice	4½	— — — —
Crassities septi narium	1½	— — — —

Omnes mensuras tradere non valemus cum incompletum sit cranium. Desunt partes laterales frontis et palati pars posterior, ita ut alveolos tantum anteriores superstites habeas; deest tota cranii basis nec non angusta pars occipitis, quod inde fissura divisum apparet. Uberiorem descriptionem frustraneam puto, quam a Pallasio et Cuviero, qui integra fere capita investigaverunt, summa ingenii acie omnia fere descripta exstent.

Quod ad alveolos dentium incisorum attinet, non inter se congruunt viri laudati. Cuvierus incisores superiores negat. Pallasius prius scripserat: „In superiore quoque maxilla hujus cranii (ad flumen Tschikoi inventi) ad anticum palati terminum utrinque tuber osseum adstat, obsoletissima fossa notatum, quae alveoli quondam praesentis vestigium refert.“**) Postea, momente P. Camperio, alveolos incisorum in maxilla superiore adesse negavit, in inferiores tantum insistens.***)

Nos quidem in tubere sinistri lateris quoque foveolam adspeximus, non profundam, quae vero minime alveolus salutanda est. Quod de Rhinocerate unicorni comper-

*) Conf. tabulam mensurar. Pallasii in Novis Comment. Acad. Petrop. Tom. XIII. p. 456. et Cuvierum l. c.
 **) Novi comment. Acad. Petrop. T. XVII. p. 600.
 ***) Cuv. Ann. du. Mus. T. VII. p. 41.

tum habuit, sine dubio impulit Pallasium, ut in parva hac fossula dentis vestigium videret.*) Adsunt porro foramina incisiva duo, a se invicem disjuncta, quae vero talem virum fallere non potuerunt.

Quaerendum, num in Prussia inventus sit hic antiquitatis testis? Hanovius, naturae scrutator Gedanensis olim bene meritus, in libro nunc jam raro: *Neue gesellschaftliche Erzählungen für die Liebhaber der Naturlehre etc.****) cranium sibi adlatum fuisse narrat, trium fere pedum nostratum longitudine, quod e monte arenoso prope oppidum Mevam ad Vistulae ripam pluvia anno 1756 eluerat. Fusius, sed non satis accurate describit cranium. Elucet e descriptione cranium Rhinocerotis fuisse. Ubi depositum sit, tacet. Bockius autem refert, suo tempore (1783) idem cranium a Consule Mevensi Karküttelio servatum esse.***) Petii ergo a senatu Mevensi hodierno, ut benigne mihi communicaret, ibine modo nominati Consulis filii vel nepotes adhuc adessent, vel aliquis civium cranium illius fossilis historiam sciret? Annuuit quidem petenti, sed confessus est, se praeter ea, quae in libro citato scripta exstant, nil potuisse eruere, nisi, quod inter cives Mevenses fama sit, cranium Rhinocerotis Gedanum translatum fuisse; Karküttelii vero totam gentem e Meva emigrasse. — Quamquam tali modo non penitus demonstrari potest, cranium nostrum Mevae reperi- tum fuisse, ita verosimile est, ut vix de hac re dubitemus. Collegerat enim Biörniius museum suum Gedani et vix credibile est, eum ossa fossilia aliunde, quam ex Prussia vel Polonia sibi comparasse, Mensurae praeterea, quas dat Hanovius cum nostris congruunt, demonstrant tantum completiorem fuisse tum temporis cranium et minime fractum.

Asservatur nunc in museo zoologico regio universitatis literarum nostrae.

*) Cuvierum in nova editione operis immortalis inter plures novas species fossiles unam dentibus incisuris gaudentem invenisse e notatis publicis docemur.

**) Tomo III p. 321.

***) *Wirtschaftliche Naturgeschichte von Ost- und West-Preussen. Tom. II. p. 397.*

In Bockii libro modo allegato dens arando repertus tam inepte describitur; ²⁻ ut ejus fuerit animalis, inde cognosci non possit.*) Sunt vero nonnulla, ex qui- ^{Dens} bus Rhinocerotem suspicamur. Descriptionem reddimus ipsis auctoris verbis ne versione quid mutetur. „Im Junius 1768 wurde in Kallinowen, einem Kirch-
„dorfe Olezkoschen Hauptamtes, bei dem Pflügen ein versteinertes Zahn gefun-
„den, von bräunlicher Farbe und glänzend, wie ein polirter Marmor. Seine Län-
„ge betrug viertelhalb Zoll, (?) und die Dicke, so allenthalben gleich war, im
„Durchschnitte ein und ein viertel Zoll. An der Wurzel sahe man noch die Zeichen
„der Nerven, die ihn mit dem Fleisch vereinigt gehalten und in der Spitze eine
„kleine Höhlung, nebst 2 oder 3 kurzen aber groben Haaren. Der Zahn war
„nicht vier- sondern sechseckig.“ -- In corona dentis Rhinocerotis foveola apparet si
non per longum tempus jam magna pars detrita est. Coronam enim apicem hic
nominari ex ipsa descriptione conjicimus. Hanc vero mancam et ineptam esse in-
ficias non ibimus, et si quis dentem equinum fuisse credit, eum quo modo re-
fellamus, nescimus.

§. 2. *Hippopotamum fossilem in Prussia inventum esse
dubitatur.*

Bockius in dicto libro petrificata et res fossiles tractans, duobus locis Hip-
popotami fecit mentionem. Primo loco collectioni societatis naturae curiosorum
Gedanensis inesse dentes Hippopotami contendit,**) quos vero equinos esse in §. 7.
probabimus. Secundo loco in construenda mola trabibus dissecandis destinata
ad Mevam anno 1760 inventum esse caput $58\frac{1}{2}$ librarum pondere et $1\frac{1}{4}$ ulna-
rum longitudine refert. Hippopotami esse autumat et apud architectum publicum
Kernium tum temporis servari addit. Senatus Mevensis, de hac re ut certiore

*) l. c. p. 396.

**) l. c. p. 401.

me faceret, rogatus, neminem esse *Mevae* hujus rei conscium, nec in tabulario litterarum publicarum mentionem ejus fieri, se ergo putare caput *Hippopotamo* adscriptum idem esse ac illud *Mevae* repertum et *Rhinoceroti* assignatum, retulit. De quo eo minus esset dubitandum, quum mola illa vix 500 passus a collibus arenosis, qui caput *Rhinocerotis* edisse dicantur, distet. — Architecti Kernii filia de cranio interrogata, se nunquam tale inter paternos parietes vidisse, confirmavit.

Ex relatis suspicamur, *Bockium* nostrum, errore quodam seductum, caput *Rhinocerotis*, quod initio 65 librar. erat, post amissas complures partes, *Hippopotamo* attribuisse.

§. 3. *Elephas primigenius Blum.*

Elephas mammonteus Cuv.

Inter omnes Mammalium ex prioribus Telluris temporibus reliquias ossa mammontea per totam fere Europam et Asiam borealem vulgatissima sunt. Solum patriae nostrae iis non caret. Plura servantur in museis (dentes potissimum molares, cum dentes exserti ad conficienda artificia verisimile usitata sint,) de pluribus mentio fit in scriptis, tam obiter vero, ut saepissimè, si non de ebore fossili agitur, hodie potius suspicari, quam probare possimus ossa e terra effossa *elephantina* fuisse. Magnam partem ossium, quibus nomina dare non potuimus, quaeque sub finem dissertationis enumerantur, huc pertinere, minime dubitamus.

1. Dens Antiquissima dentium mammonteorum in Polonia reperorum exemplum
mol.c. invenimus in Gesneri scriptis ita relatum; „Ego in volumine de aquatilibus co-
dente „rollario de Hippopotamo, dentis maximi apud nos inventi iconem posui; sed
10. „postea alium quadruplo majorem ex Polonia accepi a viro nobili quodam aedi-
ficii futuri fundamenta jacente inventum, una cum cornu maximo, quod ple-

„*riquo monocerotis esse putarunt: sed crassities et figura curva obstant.*“¹⁾
Quod cornu hic nuncupatur, dens elephantinus exsertus censendum est.

Cum jam saeculo decimo sexto haec fragmenta in possessionem Gesneri venirent, inter ossa, quae adhuc in Prussia servantur, minime sunt quaerenda.

Rzaczynskius ebur fossile tractans haec affert: „*Edidit ager ad Vistulam, quae fluvium positus, sex millaribus ab urbe Varsaviae dissitus, ebur, quod dens Gedani subjectum oculis dens elephantinus videbatur.*“²⁾ Quaestionem tum proponit auctor, verus sit dens elephantis an lusus naturae, refertque radicem dentis non vacuum esse, qua ex causa de natura ejus dubium se haerere. Non est, quod moneam, radice fracta vel detrita dentes exsertos se omnino solidos facile mentiri.

Ubi hodie? Saeculo praeterlapso in bibliotheca Gymnasii Gedanensis servatum fuisse ex sequentibus conjicimus. Scripsit ad nos Clar. Pr. a Baczeko haud diu ante obitum, se in manuscripto quodam (de memorabilibus bibliothecae gymnasii Gedanensis) de ebore fossili legisse, quod a Jesuita Gedanensi dono datum in bibliotheca dicta servetur. Raczynskius Collegii societatis Jesu quod Gedanensi florebat, antistes erat, quam ob rem hujus doni auctor putandus.

Kleinus epistolam ad Rzaczynskium Cameneco die 29. Sept. ann. 1739 exaratam, de ossibus magnis ibi tum temporis effossis agentem, publici juris fecit, quam hic denuo prodimus. „*Est pagus prope Ustiam oppidum, polon. Uscie, pertinens ad Episcopatum Camenecensem, Filipce dictus. Alluit ejus hortos Tyras fluvius, lambit et subripit. Aperuit itaque fossam idem fluvius in longum ad duas vel semi tres ulnas, quam ubi aqua deseruit, inventa*“³⁾

¹⁾ C. Gesneri: De rerum fossilium etc. figuris et similitudinibus. Tiguri MDCXV. p. 157.

Eosdem dentes memorat Rzaczynski. Hist. nat. Polon. p. 7.

Nec non Cuvierus in Annal. du Mus. T. VIII. p. 40.

²⁾ Hist. nat. Pol. pag. 1.

Ejusdem dentis mentionem facit Cuvierus in Ann. du Mus. VIII. pag. 40.

„est ibi a colonis farrago ossium, sed nullam similitudinem cum humanis habentium. Semi duo ibidem fuerunt dentes; unus excedit palmum, et hic serenissimo Regi Poloniae missus; alter dimidius habetur Cameneci apud Dominum Generalem Szylling, una cum pluribus ossibus in parva frusta comminutis. Haec est vera relatio; alia, quae sunt sparsa, sunt fabulosa.“^{*)}
 Dens palmum aequans, Elephantinus facile est.

Ex epistola elucet dentes in Prussiam non pervenisse, quod moneo, ne sub aliis hic enumeratis latere videantur.

4. Dentis alius molaris prope Gedanum effossi mentionem fecit Kleinus
 Dens molar. his verbis:^{**})

„Antequam huic materiae (tractatui de dentibus Balaenarum) finem imponamus, operae pretium esse duximus, lectorem curiosum certiore reddere de Elephantis dente molari, eunte vere an. 1736, ad dimidium Gedani lapidem, effosso. Est ibi pagus et conventus pro missionariis Sti Adalberti, cujus incolae vias publicas reparare jussi, et glaream ex vicino colle pedementano, juxta fluvium novi Rodani desumentes, praefatum dentem ad altitudinem circiter 6 pedum, praesente famato Haselau, tum temporis cactore cerevisiano ad St. Adalbertum, ex arenis traxerunt, adeo mitem, ut cultro, ad instar graphani, scalpi passus sit; recuperavit tamen successu temporis firmitudinem eboris et quidem albissimi, non nisi levissime calcinati; tandem in manus nostras delatus octo librarum pondus superavit.“

Cum reliquis Kleinii thesauris Marchioni Brandenburgo-Culmbaensi anno 1740 venditus est dens noster, uti ipse affert Kleinus l. c.

^{*)} Hist. pist. nat. prom. Miss. II. p. 29.

Cuv. Ann. du mus. Tom. VIII. p. 40.

^{**}) Hist. Pisc. natur. promov. Missus II. pag. 32.

Cuvier. Ann. du Mus. Tom. VIII. pag. 40.

Bockius autor est, anno 1780 in praelio Jerusalem, passus circiter 8000 ab urbe nostra ad Pregolae ripam sito, in colliculo arenoso dentem elephantinum ^{5.} repertum esse.*) Fusius de eodem dente locutus est Cel. Prof. Hagenius in ^{Dens molar.} libro rebus Prussicis dicato.**) Inventorem nominat Bierbrauerum, scholae cuiusdam publicae conrectorem. Dentem se vidisse grandem et incolumem certiores nos facit et dolet a possessore eum in frustula dissectum esse.

Dens majis pugno, quem Gnesnae in basilica cathedrali exstare dicit Rza- ^{6.} ^{Dens molar.} czynskius,***) manifeste elephantinus est.

Idem autor, Unicornum tractans, haec affert: „Ego quoque accepi notitiam ^{7.} „ab illustrissimo Sremensi castellano, quod simul cum cornu unico, animalis ^{Scele- ton inte- grum,} „skeleton integrum, e colle arenoso villae Gruczno ad Vistulam, erutum fue- ^{rat, sed statim contritum frustulatim a rusticis, a quibus post requisitionem „allata pars notabilis cornu fundi locatori, post aliquanto donata mihi „particula interius quasi calcinata, friabilis, linguae adhaerens.“†) Cornu „intus calcinatum, linguae adhaerens, Rhinocerotis non est, nec facile Bovis, (cujus „cornua plus minusve intus cava) sed dens Elephantis.}

Anno 1811 fluminis Drevantiae (Drewenz) in Vistulam decurrentis ^{8. †.} ^{Dens molar.} aquae dentem elephantinum molarem e fundo eluerant, quem rusticus quidam e molar. pago Jariszewo piscando invenit. Collegium regium, quod Mariae insulae rebus publicis administrandis conditum est, dentem nostrum celeberrimo naturae scrutatori Prof. Hagenio ad examinandum misit. Penitus satisfecit votis vir indefessus uberioremque speciminis hujus dedit descriptionem nec non chemicam ^{analysisin.††)} Sufficiant nobis ex autopsia nostra haec. Dentis fracti partem antero-

*) Bock. Naturgeschichte etc. Tom. II. p. 402.


**) Beiträge zur Kunde Preussens. Tom. I. pag. 56.

***) Rzacz. hist. nat. Polon. p. 8.

†) l. c. p. 10.

††) Beiträge zur Kunde Preussens. Tom. I. pag. 54 et seq.

rem videmus, poll. 3 longam, 4 poll. cum lincis duabus altam, inaequali latitudine, in antica parte enim pollicem latus, in postica, ubi fractus est, pollices $2\frac{1}{2}$ mens. Parisiens. Taenia*) prima ita detrita est ut vix appareat. Superstites invenimus in superficie terente taenias sex, quarum secunda et tertia laminae interjacentis ope conjunguntur modo hic picto



Lamina talis inter duas taenias media saepius observatur, ubi multum dentis detritum est**).

Totus dens aquarum injuriis maxime offensus et fragilis redditus. Substantia corticalis (hoc termino cum pace grammaticorum ad designandam tertiam dentium compositorum substantiam utamur, cum vocabulum „corticalis“ jam dudum anatomicis usitatum est, quibuscum grammatici certamen tenax, uti solent, ineant!) maxime friabilis in modum ossis seipiae, prout Hagenius monet, et hac ex causa ex parte perditam; quae ubi vero adest, in superficie nigram, interne albissimam se praebet. Substantia vitrea et ossea multifariam scissae, soliditatem etiam ami-

*) Notum est zoologis, dentes elephantinos compositos esse quasi e dentibus simplicibus pluribus radicem versus coalitis coronam versus substantia, quam dicunt corticem (Rindensubstanz, Kitt), conjunctis. Quisque dentium simplicium substantia ossea constat, et lamina vitrea tectus est. Tegmen hoc vitreum omnibus continuum, ita ut unica dici possit lamina, toties plicata, quot partibus simplicibus totus compositus dens. Hic cum usu teritur et plicae laminae vitreae ita teruntur ut pro speciebus diversas exhibeant figuras, quas *taenias* nominabimus sint *taeniae*-formes, ut in Eleph. asiatico et mammonteo, an rhombiformes, ut in Eleph. africano.

***) Conf. Ann. d. Mus. T. VIII. tab. 43. Fig. 1.

den-

scie. — Analysis chimica gluten animale adhuc adesse docuit; partes terreae calcariam carbonicam potissimum se praebuere, acidi phosphorici quantitatem perceptibilem non prodentes*)

Servatur in Zoophylazio nostro publico, dono datum a collegio, quod Mariae insulae rebus publicis regundis praefectum est.

Clariss. Prof. a Baczko, vir, dum vivebat, rerum naturalium semper studiosus, ante triginta et quod excurrit annos duos dentes elephantinos possidebat, ^{9 et 10.} quorum alter e colliculo arenoso ante portam Brandenburgensem urbis nostrae alter in fodienda fossa juxta Grudentiam oppidum ad Vistulam situm ^{Dent. molar.} inventus erat. Horum mentionem faciens Celeberr. Hagenius sibi e descriptione, quam dedisset Baczko, visum esse, alterum Elephantis africani fuisse, addit**). Quae mihi retulit de his dentibus vir venerabilis, tam incompleta erant, quia ob coecitatem nunquam eos viderat, sed digitis tantum tetigerat, ut inde Elephantem africanum non agnoverim.

Jam ante plura quinquennia cum reliqua suppellectile ad historiam naturalem pertinente extra patriae limites vendidit possessor, ita ut in ceteris hic enumeratis speciminibus latere non credi possit. Dentem ante portam nostram inventum in Gymnasio quodam Berolinensi servari ipse refert autor***).

In ponendo fundamento domus, custodi noni emissarii canalis Brombergensis destinatae, repertum est sub turfa, 9 pedes alta, stratum arenae tenuis et ^{ff. Sceleton} huic incumbens magnus arborum numerus cortice fere incolumi nec non ossium ^{ton} maximorum farrago, quorum multa e fossa extracta sunt****). Clar. Wutzke ^{inter-} a consiliis regiminis, qui canali huic fodiendo praefuit, de hac re a me interrogatus, ^{grum} ^{feret.}

*) l. c. pag. 57.

***) l. c. pag. 56.

****) Nauke's, Wanderungen durch Preussen, herausgegeben von Baczko. Tom. II. pag. 8.

*****) Beiträge zur Kunde Preussens. Tom. II. p. 447.

dentibus effossos mammonteis omnino similes fuisse affirmavit. Memoratu dignissimum videtur sceleton in sylva prostrata inventum esse, et quidem inter arbores, quos plaga nostra et hodie gignit. Contendit enim vir laudatus, quanquam lignum corruptum invenisset, ex cortice Betulam albam se agnovisse, nec unum inter operarios fuisse, qui non idem censisset. Quid! strias fuscas, quibus praeter alios gaudet cortex betulinus, conspicuas observavit vir in his rebus peritissimus. Num ex relatis concludere vis, Elephantem primigenium in patria nostra betuletis inhabitasse et ergo non tropicam temperiem expertum esse, an mavis casu quodam terrae superficiei commotiones Betulas cum reliquiis mammonteis ex antiquiore aevo superstitionibus in maris fundo, quem arena indicat, commiscuisse? Nos sententiam profere non audemus, persuasi, non ex unico sed ex quam plurimis exemplis tandem posteros eruturos esse, num calida an frigida tempestate gavisii sint animalia per Europam et Sibiriam sepulta.

Omnia haec ossa vel dispersa vel deperdita sunt. Nonnulla cum dentibus inventor amicis Berolinensium petentibus dederat, alia in loco, ubi reperta erant, per aliquod tempus servata, tam relicta sunt. In collectionibus Prussicis ulla adesse dubitat Clar. Wutzke.

† 12. Molarem dentem Elephantis primigenii prope Gedanum, ante portam, Dens quae de monasterio Olivae nomen habet, effossum amicissimus Dr. Rathke examinandum misit. Dens jam valde detritus, ultimam tantum partem radices et tenniarum 9 posteriorum inferiorem partem exhibet, ita ut a dente insequente protrusus et animali adhuc vivente e maxilla ejectus videatur. Longitudo pollices 2 cum lineis 10, latitudo pollices 2 et altitudo poll. 1 cum lineis 10 mens. Par. aequat. Mediocriter calcinatus; fissura media in duas partes divisus, angulo postico et radicem apicibus fractis.

Servatur a Dre. a Duisburg Gedanensi.

† 13. Bigam dentium molarium elephantinorum e collectione jam supra laudati Dens Biörnii emit Museum nostrum zoologicum. Quorum unus minor, frustulana molar.

dentis potius nominandus, 4 poll. longus, 3 poll. 2 lin. latus, 4 poll. altus, satis detritus, ut superficies molaris non multum a radice distet. Taeniae in illa 9 numerantur. Substantia corticalis dehiscens, multis locis jam deest. Substantia vitrea multoties fracta, in lateribus ex parte perditā. Omnia probant validiorem temporis et elementorum effectum in fragmentum hoc. — Altera pergrandis, 16 fere ^{14 t.} libras nostr. pondere aequat, quanquam non integer est, pars posterior enim fracta. ^{Dens molar.} Longitudo summa vel diagonalis $11\frac{1}{2}$ poll., latitudo in medio dente 3 poll. 10 lin. et altitudo pollicum 6. Septemdecim tori in latere dentis conspicui totidem laminae vitreae plicas intus latere demonstrant, quarum prima tantum paullulum detrita est, reliquae substantia corticali adhuc teguntur. Radices nondum ad justam magnitudinem excretae et tota dentis molis solidissima et vix depravata, qua ex causa dubius sum, dentem ab Elephante fossili, an indico hodierno ortum duxisse. Latitudo taeniarum dubitationem non solvit, quia plicae laminae vitreae omnino fere absconduntur. Latitudo tororum lateralium ea est, ut duodecim semipedem expleant, quod elephanti mammonteo magis quam indico convenire videtur.

Denti modo descripto ex eadem collectione Clar. Bujack, in schola Fridericiana praeceptor, ita similem habet, ut ex dextro latere ejusdem maxillae superioris (ille est sinistri lateris,) ortum duxisse videatur. Descriptionem uberiolem ergo supervacaneam putamus.

§. 4. *Elephas africanus fossilis.*

Diem a die doceri naturae curiosi nunquam non experti sunt. Ante paucos annos Cuvierus, animalium fossilium scrutator longe princeps, omnia elephantum ossa fossilia unice speciei tribuere propensus erat*). Ex eo, quod in ephemeridibus literariis de nova ejus disquisitionum editione legimus, eandem opinionem sustinuisse nobis visus est. — Interea celeberr. Goldfusus in novis actis

*) Annal. du Mus. T. VIII. p. 130.

physico-medicis acad. caes. Leopold. Carolinae anno 1821 descripsit et pingi curavit dentem elephantis africani molari similem*), quem fossilem putavit, quia substantia corticalis duritiem amiserat, mitem et friabilem se praebuit, et quia substantia ossea et vitrea multifariam descissa erat. Postremo affirmat, tales dentes ad Rhenum saepius inveniri**). Tacet observationes ejusdem argumenti a Clar. Dre. Dehnio jam prius institutas, in quibus disertis verbis taeniae rhombiformes in superficie terente describuntur et cum icone Blumenbachiana dentis elephantis africani comparantur***). Goldfusium, de animalibus extinctis optime meritum, ob peccatum hoc vituperare nolumus, cum inventa Clar. Dris. Dehnii, in opere periodico abscondantur, quod evolvere taedet, nam multa insunt mala pejoribus mixta, meliora raro occurrunt. Observationes laudatas commemorat Liber Baro a Schlottheim, fidem iis tribuens†), quae sane negari non potest descriptionibus his uberioribus et comparationi cum mammonteis dentibus vulgaribus instituta.

Quibus praemissis dentes duos recensemus, fossiles dictos, dentibus Elephantis africani simillimos.

†. 1. Primum e museo societatis naturae curiosorum Gedanensis Rathkii noster
Dens
molar. misit, affirmans eum ad monasterium Sti Adalberti in vicinitate Gedani re-
pertum esse. Magnitudo medicoris. Septem gaudet taeniis rhomboideis, quarum
ultima vix detrita est. Prioribus duabus taeniis radix communis simplex, insequentibus duabus furcata, tribus ultimis communis simplex, evolutioni nondum perfecta. Longitudo 5 poll., latitudo 2 fere poll. et altitudo 4 poll. m. Par. Substantia corticalis discissa a lamellis vitreis multis locis distat, sed solida et minime friabilis est. Substantia vitrea et ossea easdem monstrant fissuras ac Goldfusii

*) l. c. T. X. p. 486.

**) Ibid. p. 724.

***) Archiv für die neuesten Entdeckungen aus der Urwelt. Tom. I. p. 347.

†) Die Petrefactenkunde pag. 7.

specimen. Majores fissurae lamellas dividunt; minoribus substantia ossea cujusque taeniae ita finditur, ut nucleus medius a laminis concentricis circumdatus appareat. In reliquis dentis fossilis speciem non prae se ferre specimen nostrum, monendum est. Substantia corticalis non tantum soliditate sua, sed taenia nigra, quae animalium herbivororum dentium coronam cingere solet, omnino incolumi et insigni albedine in reliqua parte, se vix mutatam probare videtur. Fissuras non veras conditionis fossilis testes puto, cum in majoribus dentibus terra nunquam tectis saepius observantur. Radix anterior fracta structuram ossium genuinam exhibet, fibris osseis facile distinguendis.

Dens itaque per se observatus a mundo hodierno progenitus videtur. Haec et oculatissimi Rathkii sententia est. „*Se facile credere, litteris certiores nos fecit, „dentem ab Elephante africano vivente ad Stum Adalbertum perditum „esse, cum olim animalia peregrina non in mediis urbibus, sed tantum extra muros monstrari passi sint proavi“.* Dubitationes nostras vero non penitus solvunt amici cogitationes, cum dens non satis sit detritus, ut ab insequenti pelli potuerit. At, si mavis totum Elephantem ibi periisse, dicas, ubi sint alia ossa. Praeterea Elephantes africani post Romanorum imperium valde raro in Europam vecti sunt, Gedanum fortasse nunquam,

Maximi ergo est momenti scire, sitne re vera effossus dens, quem tractamus, Denti haec tantum verba affixa invenimus Kleinii manu conscripta, ut opinamur (alia enim ejusdem viri scripta comparavimus): *Dens molaris Elephantis. Fol. 7c.* In nullo Kleinii libro, vel prelo expresso, vel manu scripto mentionem ejus invenire contigit. Rathkius vero, saepe de hac re interrogatus, se in catalogo gazophylacii dicti disertis verbis notatum legisse, dentem nostrum ad Stum Adalbertum inventum et a Kleinio dono datum esse, confirmavit. — Celeberr. Hagenius, mineralogus peritissimus, de conditione dentis consultus, dubios nos reliquit. Nos quidem, si in geologicis sententiam nostram proferre licet, nescimus, quomodo

os in solo arenoso sicco (talis est fundus ad St. Adalbertum) mutari possit, licet per saecula multa obrutum jaceat. Sic status fossilis testimonia certa non cognovimus et non habemus quo catalogi assertum confutemus.

Idem est dens, quem in museo societatis Nat. curios. Gedan. servari Bockius narrat*), nam alius ibi non adest nunc, nec Bockii tempore affuit.

† 2??
Dens
molar. Secundum ad manus habemus dentem, praecedenti similem, sed majorem, gaudet enim taeniis rhomboideis 7 detritis et octava adhuc substantia corticali tecta. Longitudine 7 poll., latitudine $2\frac{1}{4}$, altit. 5 pollices, pondere libras duas cum dimidia aequat.

Frustulum chartae denti agglutinatum invenimus cum inscriptione germanica hujus tenoris: *Maxilla Hippopotami petrificata e terra effossa.* Circa Hippopotamum non morabimur. Quaerendum vero num dens fossilis sit habendus. Fissurae insignes in substantia corticali, minores in ossea et vitrea. Colore flavet et structuram osseam non mutatam in radice fracta nec non in maxillae particula, inter dentium radices relicta, exhibet. Quid amplius! tunicae et telae cellulosaevestientis partem in dente siccata invenimus. Partes molles per tot saecula in nostris regionibus servari posse credat Judaeus Apella! Nos vero dentem non fossilem suspicamur.

Exstat in zoophylacio nostro publico e supellectile rerum naturalium defuncti Dris, med. Michalowskio Tilsensi emtus.

§. 5. Cervorum genus.

f. 1.
Fru-
stula
cor-
num
alio-
que os-
sium
vulga-
ria. Inter petrificata nostra satis vulgaria sunt frustula, texturam osseam spongiosam exhibentia, quae non possum non pro fragmentis cornuum cervinorum et ossium habere. Quarum sint specierum ea potissimum ex causa dejudicare non valemus, quod parva fere semper sunt, vario modo fracta, detrita et depravata.
*) l. c. p. 396.

Plures vero esse species non dubitamus, quia magnitudo et forma maxime diversa. In aliis totum cornu ramosum, pollices tres vix aequat, in aliis caudex solus plus quam quatuor pollices. Ossa omnia e cervino genere esse contendere in animo non est, quamquam ea ab cornuum cervinorum reliquiis hic recensemus, plurima vero si non omnia ad ruminantia animalia pertinuisse opinamur. Vere petrificata sunt, et quidem nonnulla ex parte in silicem versa, ita ut acie ignis inde elici possit, alia in calcarium, plurima in argillam siliceam mutata sunt. Calcario satis solido inclusa ipse inveni, plura crusta arenosa friabili obducta vidi*). Multa in museis visa**) ejusdem conditionis sunt, ita ut credamus eodem modo lapide inclusa fuisse. Dolendum est, locum natalem plurimorum non innotuisse. Lapides in quibus haec ossa invenimus, rupium fragmenta (Geschiebe) erant ab aquarum vi per longum tempus agitata, uti superficies demonstravit. Talibus fragmentis Prussia non minus scatet, quam reliquae mare Balticum a meridie circumdantes plagae. Unde provenerint, adhuc sub iudice lis est, uti geologi docent. Id vero certo certius mihi videtur ex ossium adspectu, jam ante formationem lapidis includentis ossium et cornuum frustula nostra circumacta fuisse. Quae nuda reperimus, haud minus fracta et detrita visa sunt. Nescimus quibus melius comparemus quam ossibus fractis, quibus multae rupium fissurae in littoribus maris Mediterranei scatent, quae vero calcinata vel calcario incrustata, minime petrificata esse dicuntur.

Persuasum ergo nobis habemus, mammalium pristinorum magnam turbam in revolutione quadam partiali vel generali interiisse, horum reliquiis fluctibus circumagittatas, tum lapide calcario vel arenario neonascente inclusas, strata haec

*) Specimen ante oculos habemus, in cujus arenario incrustante Belemnita includitur.

**) Magnam farraginem horum ossium in collectione defuncti Lentzii, quae nunc apud filiam ad venditionem prostat, invenimus, alia Celeberr. Hagenius nobis cum communicavit.

postea fracta et disjecta frustula denuo circumvoluta esse. Ossa petrificata, strato lapidis comminuto magnam partem liberata videntur. — Melius et funditus perlustrent rem, quos decet, geologi. Nos quidem ad formarum disquisitionem revertentes, cervorum reliquias non petrificatas recenseamus.

f. 2.
Cerv.
Alces? Clar. Dr. Rathke cornu praegrande nobis cum communicavit, quod ante duos annos ex turfa 8 pedes alta ad monasterium Olivae effossum erat. Cornu latissime palmatum inter omnia animalia viventia vel extincta hucusque nota cum Alces cornu tantum comparari potest. A Cervo giganteo*) antiquitatis enim differt manifeste eo, quod ramus supraorbitalis deest, ut alia discrimina taceam. Num Alci viventi tribuam, dubius adhuc haereo, differentias nonnullas animadvertens. — Omnia Alcium cornua, quae vel ipse videre potui, vel a subtilibus observatoribus, Daubentonio, Pennantio, Wangenheimio et Goldfusio picta inveni, palma (Schäufel) gaudebant inaequilatera, margine anteriore brevior, posteriore longior, ita ut, axi caulis ad palmae marginem producta, multo minor totius ornamenti moles ante hanc lineam, major pone eam sita sit. Cornu oculis subjectum aequilaterum videtur. Videri dicimus, quia palmae margo posterius prodolor! fractus est. Si, quod ex longa comparatione persuasum nobis habemus, pars deperdita non ita magna fuerit, differentia inter cornu nostrum fossile et cornu Alcis satis conspicua. In hoc palma ita curvata est, ut ex caule horizontali nata margine suo externo assurgat apicesque omnino sursum tendant, in illo curvatura lenior est. Quotquot evolverimus libros, nullam invenimus mentionem cornu Alcis tantae latitudinis in ipsa palma, quanquam specimina descripta, vel picta cornu Gedanense longitudine saepe superant. Longitudo cornu ab apice anteriore ad marginem posteriorem fractum secundum curvaturam 2 ped. 2 poll.
Eadem in linea recta 1 — 10 —

*) De Cervo giganteo conferas Cuvieri: Recherches sur les ossements fossiles et Goldfusii tractatum in novis actis acad. Leopold. Carol. T. X.

Latitudo totius cornu ad curvaturam	2 ped. 6 poll.
Eadem in linea recta	2 — 2 —
Latitudo ipsius palmae	1 — $2\frac{1}{4}$ —
Longitudo caulis	4 —

Diameter caulis tres fere pollices aequat. In parte incoli 6 exstant apices.

Quae de forma cornu docuimus non sufficiunt ad novam pronunciandam speciem, sufficiunt vero ad monendum geologos, ut inquirant, utrum alibi effossa Alcium cornua cum viventium cornibus congruant, nec ne. Si ad novam stabilien-
dam speciem propensi essemus, turfa cautos nos esse juberet, quae paucis decenniis
ita crescere potest, ut res injectas pluribus pedibus tegat. Constat vero in medio
aevo Prussiam Alcibus divitem fuisse, nec est, quod dubitemus, illo tempore cor-
nua harum bestiarum multo majora fuisse. Gaudent enim Alces Rossicae et Ame-
ricanae grandiore capitis ornamento, quam Prussicae hodiernae, quae ultimam aeta-
tem vix attingunt. Harum maximum cornu, quod videre contigit et mihi et ipsi
sylvarum Alces nostrates alentium inspectori, septem tantum rigeat apicibus et
palma satis angusta utebatur. Est idem caput, quod nunc in gazophylacio Sere-
nissimi principis, Comitum ab Erbach conservatur.

Museo nostro zoologico cornu fossile inest, quod modo descripto curvatura 3. f.
simile, praeterea minus et incompletius est. Ubi inventum sit nescitur. Ejusd.
cornu

Bockius ad pagum Tiefensee ex arenaria summitatem palmae Alces me- 4. f.
dio saeculo decimo octavo extractam refert*). Alcis
cornu.

Cornu cervinum dextri lateris fossile habemus, cui, quod a Goldfusio ubi- 5. f.
rius describitur**), valde simile, praeter magnitudinem, qua ab hoc superatur. Cornu
C. Ela-
Nostrum enim 30 pollices longitudine explet, 7 utitur apicibus et octavo inter pri- phi
mum et secundum inchoato potius, quam evoluto. Quatuor supremi ex eodem fossi-
lis.

*) l. c. pag. 396.

**) Nova acta acad. Leopold. Car. T. X.

puncto originem ducunt, uti in Goldfusii specimine. Uberior descriptio superi vacanea, cum ex solo cornu non dijudicari possit, num diversus sit *Elaphus fossilis* a vivente, cujus cornua polymorpha sunt.

Est in museo zoologico publico ex collectione Biörnii entum. Unde provenerit nescimus.

†6.7.8. Secundum cornu itidem in museo publico servamus, et duo alia in Ejusd. collectione Wollweberiana, de qua infra sermo fiet, examinavimus. His tribus desunt summitates et loca natalia non innotuere. Qua ex causa nescimus, num cornua cervina in scriptis allegata eadem sint, nec ne.

Scripserunt enim de cornibus cervinis in Polonia et Prussia repertis Hellwingius („*cornua cervorum copiose colliguntur*“^{*)}), Kleinus („*habuimus serata integra cervi e sinu Pucensi extracta*“^{**)}) et Bockius^{***}).

^{*)} Lithographia Angerburgica T. I. p. 68.

^{**}) Nomenclatura lapidum figuratorum MST.

^{***}) Wirth. Naturg. T. II. p. 401.

Iconem adjecimus cornu, quod p. 22. fusius descriptum exstat.

Fig. 1. Cornu a facie interna visum.

a b longitudo; c d latitudo; d e caulis; e f latitudo palmae; d f axis caulis ad ambitum productus.

Fig. 2. Ejusdem sectio transversa ad cognoscendam curvaturam.

§. 6. B o v e s.

Kleinus maximi capitis bovini partem posteriorem cum cornuum radi-
 cibus in Prussia inventam descripsit litteris ad Joann. Sloanium, quas in trans-
 actionum philosophicarum volumine XXXVII. adjectis iconibus anglice versas
 invenies*) hujus tenoris:

„De horrendo cranio bovino.

„Nuperrime amicus ex civitate Dirschaviensi in museum meum collocavit
 „partem cranii bovini cum alveolis horrendorum olim (prout credere fas
 „est) cornuum, aliquando juxta dictam civitatem Dirschau, trium
 „milliarium intervallo a nobis (Gedanensibus) distantem, e terra erutam.

„Fig. 1. partem externam ad orbitam usque oculorum; Fig. 2. basin
 „calvariae et Fig. 3. occiput repraesentant. Alveoli cornuum pro-
 fundos et longitudinales habent sulcos. Illi circa extremitatem inte-
 gri quidem non sunt, nihilominus advicem distant:

„a. b. (i. e. apices cornuum fracti)	3 ped.	c. 2½ poll.
„c. d. (anguli occipitis)	1 —	1⅓ —
„e. f. (margines orbitarum)	1 —	4 —
„g. h. (longitudo totius fragmenti)	1 —	1¼ —
„i. k. (radix cornuum in circumferentia)	1 —	6 —
„l. m. (alveoli cornu in linea recta)		11 —

„Quinam generi taurorum hoc fossile adscribendum sit, determinare non

*) l. c. Vol. XXXVII. (ann. 1731 et 1732.) p. 427.

Ejusdem cranii mentionem fecit Cuvierus. Ann. d. Mus. T. XII. p. 381.

Nec non Rzaczynski in Auct. hist. nat. Polon. p. 15.

Bockius bis, pag. 397 enim Vol. II. libri cit. Rzacz. secutus et pag. 401 ejusdem voluminis duce Kleinio, cujus tractatum vero non ipse legerat, idem cranium enumerat.

„audeo, nisi forte ad *Taurelephantes*, quorum mentionem fecisti in doctissima dissertatione tua: *Of a pair of very extraordinary large horns*. „*Phil. Trans. Vol. XXXIV. N. 397. pertineret; nam quod ad Zubrones, quorum Gesnerus de Uris p. 144. ex Munstero meminit, attinet, sufficienter probare nequeo, in horum familia olim fuisse*“^{*)}.

Cranium hoc cum Uri cranio in omnibus convenire, praeter magnitudinem et potissimum cornuum crassitiem, Cuvierum non fugit. Uros in antiquitate majores fuisse ex hoc et aliis speciminibus probat. Quibus, instituta cum cranio Uri hodierni comparatione, non possumus non assentire.

Vendit cranium modo descriptum cum ceteris thesauris Kleinii Principi Marchioni Culmbaco Baruthensi anno 1740.

2. Ad oppidulum Szczbrzeszyn in vicinitate Cracoviae cornu nucleus B. Uri fossil. osseus longitudine duorum pedum et circumferentia 15 poll. effossus est^{*)}. Ex cornu: icone Cuvieri oculis subjectum. Urum agnovit vir summus.

†. 3. Tertium Uri cornu cum parte cranii ad orbitam usque in Bibliotheca Ejusd. Wallenrothiana asservatum vidimus. Magnitudo mediocris et os non multum mutatum videbatur. Ex antiquitate non valde remota credimus. Sigillum regium cera signatoria fronti impressum invenimus, in cujus circumferentia vo-

*) Reddidimus litteras ex manuscriptis Kleinii, quia versio anglica non verbotenus facta est. In iisdem manuscriptis legimus e literis a Clariss. Sloane ad Kleinium anno 1741. notata haec: „*Prope pagum Brentford, decimo abhinc (Lond.) lapide sitam, e tellure nuper effossa sunt praegrandia cornua variaque alia ossa bovina, ejusdem fere omnia dimensionis tum illis, quorum historiam figurasque benigne olim mecum communicasti et in actis nostris philosophicis edendas curavi. Eodem fere tempore effossa sunt etiam in agro Sussexiensi ossa elephantina magnitudine non mediocri; utraque 9 vel 10 pedes alta in terra striato non ante everso latebant, ut ju- dicavere fossores*“^{*)}. Notata publici juris facimus, quia inventa haec a Cuviero non memorata videntur.

*) Annal. du Mus. T. XII. p. 382.

cabulum „Drusken“ legere licuit. Veresimile ergo, ex hac saltuum praefectura (Oberförsterei) saeculo praeterito Regiomontum missum esse.

Servatur, uti docuimus, in Bibliotheca Wallenrothiana.

Rathkii nostri benevolentia aliud examinandum cornu communicatum 4. t. est, quod anno 1762 arando invenerat rusticus ad (pagum?) Wonnebergam, ^{Bov.} Pallas 3000 passus a porta Gedanensi Neugartenthor, in collium serie, ^{sii} cuius cornu mentionem jam in prooemio fecimus. Inferior tantum cornu pars superstes, 7 pollices longa, et cranii parum, satis tamen ut videre liceat, cristam transversam occipitis a cornu distare, quo differt a Tauro. Cornu radice non terete, sed depressa, (altitudo enim $2\frac{1}{2}$ poll., latitudo 4 pollic., circumferentia 11) superficies tres exhibente, superiorem convexum, inferiorem planiusculam et posteriorem angustiore itidem fere planam, nec in cranii superficiem excurrente, quod de Uro bene observavit Cuvierus, ab hoc alienum se probat. A Bove moschato toto coelo diversum, desideratur enim cornu baseos intumescencia. Restat quartus Boum fossilium, quem Pallasius ad crania ex Sibiria translata descripsit*). Hujus speciei nostrum esse credimus, quia eundem animadvertimus angulum obtusum frontem in duas partes dividentem, quarum posterior magis declivis est, quam in Uro, quia porro eadem cornu radice directio observatur.

De hac radice depressa Pallasius quidem non loquitur, ex icone vero talis nobis videtur, eosdemque angulos animadvertimus, quanquam ob vaginam corneam minus conspicuos**). Vagina cornu nostro deerat, uti in subterraneis nostratibus solet.

Servatur in museo societatis naturae curiosorum Gedanensium. Ut cognosci possit hoc specimen memorabile, quia unicum est, quod in Europa re-

*) Novi comment. Acad. Petrop. T. XIII. p. 460. cum icone, quae denuo expressa existat in Cuvieri opere de ossib. fossil.

***) Corneae vaginae figura externe angulata Pallas l. c. p. 463.

pertum sciamus non supervacaneum videtur adjicere, in cornu insertione instrumentis aperturam factam et superficiem inferiorem rasam esse.

Caret haec species, e terrarum fundo reviviscens, nomine proprio. Divini Pallasii nomen immortale proponimus.

f. 5.
Bov.
Tauri
foss.
caput. Caput bovinum integrum fere ante oculos habemus. Est e supellectile rerum naturalium Angerburgo huc nuperrime ad venditionem publicam adlata, quam a viris claris, de Prussia meritis, Helwingio et Pisanskio collectam et haereditate rerum sacrarum antisteti Wollwebero relictam dicunt hujus haeredes venditores. — Desunt tantum cornuum apices, ossium nasi partes anteriores, mandibula cum palati parte posteriore et dentes omnes. Totum nigrescit et mediocriter fragile est.

A praecedentibus maxime differt. Cornu nucleus terestiusculus cristae occipitali transversae insidet. Haec angulum acutum inter frontem planam quadrangularem et faciem occipitalem constituit. Ex dictis zoologo jam patet de eo hic sermonem fieri Bove, quem Cuvierus stirpem primigenam Bovum domesticorum esse credit, quia praeter mensuras majores ab hoc parum discrepet.

Caput hoc cum capite Bovis domestici comparantes differentias invenimus has. Orbitae in fossili multo magis prominent, potissimum anteriora versus, caput ante oculos enim valde coarctatum, tum ubi linea aspera maxillae in eminentiam abit, dilatatum. Orbitae a cornuum basi remotiores, apertura earum ad latera magis versa et magis depressa, marginis enim pars superior infra frontem depressa, in nostrate supra illam elevata. Frons tota fere plana, quae in Tauro domestico retro paullulum convexa in parte anteriore concava est. Ossa temporum supra meatus auditorios ad latera valde prominent, ut capite a fronte adspecto, hanc duobus pollicibus utrinque excedant. Cranium Bovis hodierni eodem modo adspectum ossa temporum vix ac ne vix quidem monstrat. In illo praeterea plura videmus foramina supraorbitalia, quorum ultimum prope

cornuum insertionem est et sulcum ab anteriore foramine supra orbitam decurrentem profundum nec non foramina infraorbitalia duo. In nostrate foramina supraorbitalia pauca, approximata, sulcus vix ullus et foramen infraorbitale unicum. In illo ossa nasi lata, in hoc angusta. In illo cornua ab initio extrorsum, tum antrorsum et introrsum^{*)}, in hoc extrorsum et retrorsum versa. Caput fossile in omnibus partibus caput Bovis domestici magnitudine superat, in nulla magis quam in cornibus. Horum nuclei in illo pollices 20 aequant^{**)}, in capitib. Bov. dom., quae ante oculos habemus, vix 5^{***)}.

Differentias observatas non tanti esse ponderis ut diversitas specifica inde eluceat, Cuvieri nos docent icones craniorum stirpium diversarum Bovis domestici. Publici juris tamen facere idoneum videbatur ut in posterum observationibus multiplicatis naturae scrutatores speciei metamorphosin inde cognoscere possint. Nonnullae differentiarum fortasse a mole derivandae videntur. Sic in icone cranii Bovis romani, quem cum stirpe Hungarica et Ucrainica, saepe a nobis visa, congruere opinamur, eadem prominentia temporum, orbitalium et tuberositatum maxillarium eademque ossium nasi latitudo. Aliae in aliquapiam varietate observantur, uti in Bove scotico directio cornuum eadem et foraminum supraorbitalium series longa.

Ut supra dicta probemus tabulam comparativam mensurarum cranii fossilis et cranii Bovis nostratis magni afferimus, pollicibus Parisiensibus utentes.

*) De cornuum directione loquentes non animal totum in statu naturali in mente habemus, sed caput in tabula positum, quia angulus inter caput et collum in eodem animali saepe mutatur dum movetur.

**) Apices desunt, sed partes superstites plus quam 12 poll. exsunt, et similitudines deperditas magis quam 4 poll. habuisse ex forma cornuum concludere licet.

***) Icon, quam in „Archiv für die Urwelt“ Tom. III. Fasc. 2. invenies, nostrum specimen in minutissimis quadrat. Faujasii icon in Anual. du Mus. Tom. II. exhibita cornuum basium marginibus internis parallelis differt.

	Bos Taurus fossilis	Bos Taurus domesticus
Longitudo cranii a crista occip. ad marginem labialem ossium internaxillarium	25 $\frac{1}{2}$ poll.	19 poll.
Linea media a crista occipitali ad orbitarum axin	10 —	7 —
— — ab axi orbitarum ad apicem rostri	16 —	12 $\frac{1}{2}$ —
Latitudo frontis media (quae in fossili angustata est)	8 $\frac{1}{2}$ —	7 —
Latitudo capitis supra orbitas	11 $\frac{1}{4}$ —	8 —
— — — ante orbitas	6 $\frac{1}{8}$ —	6 $\frac{1}{4}$ —
Distantia radicum cornuum media	8 —	7 —
— — — anteriora versus (Radicum cornuum margines in B. T. domestico fere paral- leli in fossili satis divergentes),	10 $\frac{1}{2}$ —	7 $\frac{1}{2}$ —
Circumferentia radicum cornuum	14 —	6 —
Longitudo nucleorum secundum curvaturam	20 —	5 —
Distantia apicum (in cap. fossili fractorum.)	26 $\frac{3}{4}$ —	14 —
Longitudo tubuli orbitatis. (Liceat sic nominare eam or- bitae partem, quae latera versus e cranio eminet.)	2 —	$\frac{1}{2}$ —

Brevi tempore in museo nostro fore specimen descriptum speramus.

†. 6. **Bovis Tauri foss. cornu** Eiusdem speciei cornu dextrum cum parte cranii adjacente habemus. Cor-
nu brevius (17 poll. sine deficiente apice unius vix pollicis) sed crassius et an-
gulatum cranii quod adest ad majus pertinuisse videtur caput, quam praece-
dens. Fragmentum totum nigrum et nitens bitumine quodam imbutum credi-
mus. Durissimum est. Ubi repertum sit nescimus.

Ex collectione Cl. Biörnii emtum habet museum nostrum publicum
zoologicum.

†. 7. **Bov. Taur. fossil. os temp.** Frustulum cranii Bovis Tauri fossilis, os temporum scilicet cum meatu
auditorio externo museo zoologico nostro inest.

Aliud cornu in Curonia repertum esse legimus in Actis societatis literariae Curonicae, ubi a divini verbi ministro Büttnero, entomologo peritissimo, ^{f. 8.} quaeritur, sitne Antilopes cujusdam ornamentum^{*)}. Dr. Lichtenstein, medicus practicus Mitaviensis et historiae naturalis Curoniae deditus, precibus nostris motus, benigne nobis communicavit specimen hoc, quo facto gratias maximas apud nos iniit. ^{Ejusd. cornu}

Cum cornu pars cranii superstes, ex qua illius ratio ad cristam occipitalem cognoscere potuimus. Ne longo sermone lectores moremur omnia cum Bove Tauro fossili convenire referimus. Cornu (apice deficiente) brevius nec non multo tenuius, quam cornu capitis sub No. 5 descripti.

Repositum nunc in museo societatis literis et artibus dicatae curonicae, antea a candidato Stavengaheno Goldingae conservatum est.

Ad ripas rivuli Abauae juxta oppidulum Zabeln repertum est.

Idem locus aliud edidit caput bovinum, de quo in eodem libro mox laudatus Cl. Büttnerus haec afert^{**)}: „Der Stirnknochen eines Stiers ist ^{9.} „bei Zabeln, wo sich die Abau ein tiefes Bette gegraben hat, aus dersel- ^{Spec.} „ben gefischt worden. Zwischen die Hörner dieses Stirnknochens haben sich ^{in cer-} „zwei starke Männer, Herr Pastor Dullo aus Kabillen und Herr Kaufmann ^{ta.} „Kupfer aus Talsen (beide noch jetzt lebend), neben einander gesetzt und „bequem gegessen, so dass die Breite von einem Horn zum andern wohl 5 bis „4 Fuss gehalten hat, eine Breite die jetzt bei keinem Schädel dieser Thier- „gattung gefunden wird. Dieser Stirnknochen ist von Zabeln durch einen Freund an den verstorbenen Professor Beseke nach Mitau gesandt worden. — Allen Nachforschungen ungeachtet hat sich diese Merkwürdigkeit nicht wieder gefunden.

*) Jahresverhandlungen der kurländischen Gesellschaft für Literatur und Kunst. Tom. I, p. 197.

**) l. c. eadem pagina.

Dicte non sufficiunt ad cognoscendam speciem. In Uro et Bove Pallasii distantia cornuum major, quam in Tauro. Dubitanus vero virorum bigam soli fronti insedissee et non cornuum radicibus. Quod si cornuum basi etiam uti permittitur, crania Tauri fossilis duobus viris satis amplam sedem praeberet, ex No. nostro 5to discernua.

Cornu bovinum prope Steinorth inventum Celeb. Helwingius memorat*). Numerum proprium illi non tribuimus, cum nesciamus a cornu sub No. 6. enumerato diversum sit, nec ne.

†. 10. Phal. prima digit. bov. Phalangen primam digiti externi animalis bisulci ab Illustrissimo Comite a Klinkowström in praedio suo Sehmen in vicinitate oppidi Domnavae anno 1821 effossum accepimus. Os per longitudinem fractum, praeterea solidum et minime detritum, majus, imprimis crassius, quam in Alce observatur, bovino generi tribuendum videtur. Memoratu digniorem, quam os ipsum locum credimus, in quo inventum est. De hoc sequentia retulit doni auctor. puteus fodendus erat. Sub humo lutea quatuor pedes alta argillam coeruleam cum lapillis inmixtis totidem pedes altam invenerunt operarii, sub hac arenam instabilem uti in maris littore esse solet. Arenam, ob mobilitatem summa opera et machinis perfossam secutum est novum argillae stratum lapillos includens, ita solidum ut securibus opus esset ad comminuendum. In hac argilla os 22 ped. altum se obtulit. Argillam vero secundo arenae strato incumbere postea viderunt. — In solo nostro maris fundum ita cum stratis terreis saepius alternare jam in multis locis, ne dicam ubique, experti sunt nostrates. Non est ergo, cur dubitemus saepius circumversam esse terrae superficiem in Prussia. Os in zoophylacio nostro servatur.

*) Lithographia Angerburgica. Tom. I. p. 58.

Effatum repetit Bockius. l. c. p. 402.

Astragalum bovinum fossilem in collectione rerum naturalium Lentziana ff. 8 observavimus. Firmus, colore fuscus et paullulum detritus est. Locum, ubi ^{Astragulus} repertum est, nescimus.

§. 7. *Equus Caballus fossilis.*

Incredibile dictu est, quam saepe Equi, animalis, quod semper ante oculos habemus, dentes non cognoscantur ab ipsis historiae naturalis cultoribus. Aldrovandum in libro de Monstris dentes equinos pro Gigantum dentibus venditasse et Walchium similes dentes non cognovisse Cuvierus demonstrat^{*)}. Exempla talia plura afferre possumus. Gesnerus in libro de Aquatilibus multa facit verba de similitudine dentium Hippopotami et Equi, postremo vero dentem equinum genuinum pingit, narrans, amicum sibi talem dedisse, se vero nescire, qualis sit^{*)}. Quod majus est! Kleinius noster, inter zoologos sui temporis optimos certe nominandus, Kleinius, qui animalia omnia in ordinem digessit, in museo suo postremo dentes equinos et quidem molares servavit, in catalogo ab ipsius possessoris manu conscripto, dentes incisores Hippopotami nominatos; quod vix crederemus, si non Rathkius id nobis communicasset, si non ut propriis oculis videremus, dentes nobis misisset. Mirandum ergo non est, in omnibus fere muscis, quae in urbe nostra perlustrare datum nobis erat, dentes equinos occurrere, vel Elephantibus, vel Gigantibus, vel Hippopotamis adscriptos.

Relata docent Equorum reliquias hic non rarius e terra effodi, quam alibi. Nam, si non effossi essent dentes equini in museis collocati, non animalium exoticorum vel fictorum nomina acciperent. Zoophylacio regio tales quoque miserunt fructores, vel ex turfa effossos, vel ex aqua piscatos, vel e terra erutos, quorum alii e recentioribus temporibus esse videntur, alii antiquitatem conditione sua probant et inter equinas reliquias numerari possunt.

^{*)} Annal. d. Mus. T. XIV. p. 34.

^{*)} De Aquatilib. Tiguri 1560. p. 356.

quat cum Mammothorum et Rhinocerotum ossibus, mundi praeteriti testés, occurrere fusiús demonstrat Cuvierus*). Has cum Equis viventibus comparatis veras differentias non invenit autor laudatus. Celeb. Schlottheimius**), Voigtius***), ne dicam Krügerunt†), majores esse volunt. Quos ante oculos habemus, majores non sunt vulgaribus.

§. 8. *Cetorum reliquiae fossiles.*

Cetacea sicco pede transire non possum, licet certa de his non multa dare valeam. Investigandum enim adhuc est, utrum Cetorum reliquiae magnae, quae non raro in patria nostra in aedibus sacris, in arcibus etc. depositae, vel in campis erectae inveniuntur, e terra effossae sint, nec ne. Plures effossas esse conjicio, quia multa horum locorum a littore et majoribus fluviiis valde distant. Non magni enim facio Balaenarum maxillas, scapulas, costas, vertebrae, quae in omnibus fere oppidis maritimis observantur, (quarum insuper eae, quas observare licuit, fossiles non visae sunt, nec in ea Balaenarum ossa insisto, quae haud procul a littore exstant, uti mandibula dimidia in agro pagi Brentavae (inter Gedanum et Olivam) et duae in insula Vistulae (auf dem Holm) visendae, nec non biga aliarum in praedio Juditten prope Regiomontum, et costa (?) cum vertebrae in monasterio Olivae servata. In haec ossa me non insistere dico, quanquam plura e terra effossa esse, fama ruit; nam in medio aevo vel commercio ad urbes nostrates vel Balaenis in littus ejectis huc pervenisse credi possunt††). Alia vero ossa

*) Ann. du Mus. Tom. XIV. p. 37.

**) Petrefactenkunde p. 11.

***) System der Natur und ihre Geschichte p. 808.

†) Archiv. für die neuesten Entd. in d. Urvwelt. Tom. IV. p. 362.

††) Non desunt indicia Balaenas interdum ad littus australe maris Baltici appellata. Conf. Bock. Wirth. Nat. Tom. IV. nec non. „Kurze Beschreibung des Wallfisches, welcher in Pommern 1620 todt angestrandet ist etc. Alt. Stettin 1634.“

maxima in locis a littore maris, immo a fluviis majoribus longo intervallo distantibus conservantur, uti scriptores testantur et ipse expertus sum. Multa horum ossium a Cetaceis provenerunt. Difficile est credere, haec ossa per longum iter terrenum illuc vecta esse.

Bockius scapulam ingentem longitudine 4 pedum in aede Tannenberghiana servari refert*). De hac scapula litteris et benevolentia Celeb. Hagenii descriptionem uberiolem nobis comparavimus, ex qua luce clarius videmus Cetacei cujusdam esse. Spina enim nulla in superficie externa, sed processus anteriores duo (processus coracoideus et alius, spinae vices gerens). Forma totius ossis triangularis, margo anterior crassus, superior brevior quam reliqui et posterior concavus. Fossae glenoidalis diametrum unam 10 poll, alteram 8 poll. aequare refertur. Scapulae Physeteris Macrocephali**) magis quam Balaenae respondere descriptio docet. Ubinam inventa sit, nescinus, id tantum compertum habemus, jam per plura saecula in eadem aede servatam esse. —

In praedio Rynkowken arci antiquae affixa est mandibula Balaenae quam in ponendo arci fundamento inventam ferunt et Gigantis ibi sepulti costam credunt***). —

Huc relata Rzaczynskii duco: „Cracoviam versus aedes sacrae primariae, in monte dicto Calvaria fossile tenent alligatum catena, quod Gigantis esse costa vulgo putatur“†). — „In cathedrali templo Cracoviensi appensa costa ulnarum plurium“††).

*) l. c. T. II. p. 396.

**) Conf. Camperi Observations anatomiques sur la structure des Cetacés. Tab. XLIV. Fig. 3.

***)) Hujus mentionem fecit Rzacz. Auct. hist. nat. Pol. p. 12.

†) Rzacz. Auct. hist. nat. Pol. p. 13.

††) Hist. nat. Pol. p. 8.

§. 9. *Enumeratio ossium, quae in Prussia et Polonia inventa esse ab auctoribus dicuntur, quae vero non satis descripta sunt ad cognoscenda inde animalia, quorum partes olim fuerunt.*

In §§. praecedentibus ea recensuimus ossa, quae vel ipsi examinavimus, vel ita descripta invenimus, ut cognoscere potuerimus. Liceat nunc ex scriptoribus longam seriem ossium adjicere, quibus nomina dare non audemus.

- Rzaczyński haec profert: „*Jam Gesnerus in Hist. Anim. Quad. sub*
1. *„Monocrote citat epistolam Schnebergeri, ad se datam, tenore tali. Re-*
2. *„periuntur, frequenter cornua in Polonia. Unum vidi, a radice ad apicem ro-*
3. *„tundum, intus cavum, medio album, in sine subrufum, inventum in agro, mil-*
4. *„liaribus duobus distante Cracovia; alterum in torrente; tertium et quartum*
5. *„ita durissimum ut vel saxum ferrumque eis cedere (?) potuisse existimem: quin-*
6. *„tum simile primo“*). Nobis datum non erat, epistolam hanc in Gesneri op-
ris citati editione Tigur. 1551 invenire. Cornua sic dicta tertium et quartum dentes
elephantini videntur, primum et quintum forsitan cornua bovina sunt.
7. *Os unum et alterum in littore Vistulae non procul a civitate Casimi-*
8. *ria, anno 1668 Tylkowski S. J. se invenisse, in Physicae curiosae par-*
9. *te 3 scribit: vulgus miratur illa, quasi essent Gigantum; cum Gigantes tanta*
10. *mole esse non potuerint. Idem in Phys. curios. part. 9 narrat, quod in monti-*
11. *bus Roxolaniae eruuntur ossa quaedam in lapidem versa, quaedam inducta*
12. *lapide“*).
13. *„Armus ingens in arce Mariaeburgensi, brachium in aedibus D. Mar-*
14. *„garitae Posnaniae, scapula Tresmesni, os Varsaviae apud S. Ioan-*

*) Ibid. p. 9.

**) R. act. Hist. nat. Pol. p. 7 et 8.

nam, Leopoli apud S. Georgium, Calisii, Petrocoviæ, Capriv-
nicæ, Gedani inter granaria^a a Rzaczynskio inter fossilia enumerantur^b).

Sub nomine Unicornu veteres miscent dentes exsertos Elephantum, cornua
Rhinocerotum, cornua bovina et nonnunquam dentes Monodontis. Qua ex causa
lectoribus ea hic reddo, quæ de unicornu fossili Polonico docuit Cel. Rzaczyn-
kius, quanquam non dubito plurima ad dentes exsertos Elephantum pertinere^{**})

„Unicornu integrum ad Podoliam fuit teste Schwenkfeld in Tropheo¹⁷⁻²⁵.

„Silesiæ est repertum, secundum ad ripam Vistulae in vicinia civitatis
„Neo Carcinensis, tertium ad pagum Uscie, (num idem ac pagina 11 me-
„moratum?) quartum ad fluvium Stryg, quintum et sextum ad amnem San-
„praeterlabentem villam Munina, septimum in monte arenoso ad Dunajec,
„octavum Presmiliae, dum ponerentur fundamenta collegii P. P. Soc. Jesu,
„nonum extra civitatis ejusdem moenia^{***}).

„Ex radice montis Jurovicensis siti in magnoducatu Lituaniae, anno 1723 26.

„Obur fossile dentriticum (?) spongiosum et quasi calcinatum est depromptum,
„Gedani a curiosis naturæ scrutatoribus pro Elephantis dente acceptatum,
„musæisque allatum†).

„Dum fundamenta ponerentur pro Mariampol, oppido palatinatus 27.

„Russiæ, dentem grandem, humano denti molari similem edidit petra chalybe 28

„scissa. In conventu religiosorum St. Francisci costa grandis est suspensa,
„dum autem fundamenta ponerentur, pro eodem aedificio, frustum non modicum
„ossis est repertum^{††}).

^a) Ibid. p. 8. Quæ hic enumerantur ossa inter granaria Gedani obvia, maxillæ Ba-
laenarum recentiores sine dubio sunt. Omittere nolui, quia suspicionem movent,
et nonnulla alia non fossilia esse.

^b) Rzacz pluribus locis Unicornu nihil esse, nisi cornua variorum animalium con-
firmat et caput bovinum a Kleinio descriptum duobus cornibus instructum,
unicornu fossili adnumerat. Auct. h. n. P. p. 13.

^{**}) Rzacz. Hist. nat. Pol. p. 8 et 9.

†) Rzacz. Auct. hist. nat. Pol. p. 2.

††) Ibid. p. 14.

29. „In ambulacro monasterii Pelplinensis sacri ord. Cisterciensis dentes duo
„effossi, longitudine digiti index vocati^{*)}, Nonne dentes Equini?
30. „Lapis prope Czentochoviense monasterium de saxo calcario exeisus
„cornu repraesentabat cum rugis et plicis aequaliter distantibus et prope Vielunium,
„in eadem Polonia, crebro reperiuntur lapides elegantes, figuram cornuum
„exprimentes, Sachsii in appendice Gammarologia testimonio^{*)}.
- 31-33. „De margine fluvii Horyn ad Bahuryu pagum Volhinae, extractum
„grandius cornu, secundum fundus villae Zalin adjacentis praefato flumini
„fossori obtulit, tertium prope vicum Chodaki, albicans, molle, friabile,
„adhaerens linguae apparuit, dum munera ferri montana profundius quaeratur^{***)}.
34. In ponendo fundamento arcis Dönhofstädt skeleton sic dictum giganteum
effossum est teste Bockio. — Quod idem auctor de magnis humanis ossibus,
35. haud procul Elbinga ad Johannisdorf effossis refert, ad ossa quadrupedum itidem
pertinere suspicamur^{***)}.
36. Ad arceum Lochstädt plures olim reperti sunt dentes^{****)}.
37. In colle ad Mahlavam multa inventa sunt ossa petrificata^{****)}.

*) Ibid. p. 13. Eadem refert Bockius. Wirth. Nat. T. II. p. 395.

**) Ibid. p. 14 et 15.

***) Wirthschaftliche Naturgesch. T. II. p. 394 et 395.

****) Ibid. p. 396.

****) Ibid. p. 401.

Theses

ad sectionem primam:

1. Systema, quod naturale dicitur in zoologia et arte botanica, ab artificiali ita differt, ut alterum alterius vices gerere non possit, nec systema mixtum utriusque commoda praebere valeat.
2. Systema naturale historiae naturalis ultimus finis.
3. Systema artificiale minime historiae naturalis finis, sed hujus studii subsidium.
4. Animalium affinitates non ab unica corporis parte vel unica vitae functione pendent.
5. Animalium affinitates non serie ~~unica~~ exprimi (vel pingi) possunt.
6. Systematis naturalis animalium regularis vel symmetrica constructio naturae non respondet.
7. Supt. enim animalibus formae genuinae vel cardinales diversae, inter quas transitus modo completus fere, modo vix ullus observatur.

Theses

ad sectionem alteram;

1. Quinque sunt capitis vertebrae.
2. Legem a naturae scrutatoribus proclamataam „*evolutionem*, quam prima aetate quodque subit animal, evolutioni, quam in animalium serie observandam putant, responderet, a natura alienam esse contendo.
3. Embryonis situs in vertebratis tantum corpori matris contrarius est, in reliquis animalibus non est.
4. Animalibus loricatis et Molluscis vertebrae esse nego.

Errata Typothetae

in primis plagulis observantur nonnulla, ex quibus haec potissimum emendari volumus.

Pag. 1. vers. 6. lege: somnum resurgere pro somnum esurgere.	
— 2. — 17. — quendam	— quandum.
— 3. — 3. — praerumpunt	— praerumpunt.
— 3. — 10. — observavit	— obserravit.
— 5. — 12. — vexato	— vexuto.
— 6. — 6. — enumerata	— enumerati.
— 6. — 2. — tichorhinus	— tichorhimus.
— 7. — 20. — monente	— momente.
— 13. — 7. — major pugno, quem	— majis pugno, puen.
— 14. — 5. ab inf. — componitur	— componitus.
— 17. — 5. — Alter	— Altera.
— 19. — 19. — tractamus	— tractamus.
— 20. — 20. — Michalowskio Tilsensi	— Michalowskii Tilsensis.
— 22. — 16. — posterior	— posterius.
— 25. — 26. — terrae	— terra.
— 27. — 14. — convexam	— convexum.



Fig 1.

Fig 2.



Erwerbungs-
bibliothek
München

